

SERENISSIMO PRINCIPI GASTONI LUDOVICI XIV. PATRUO, AURELIANENSIUM DUCI.

EGREGIA tua mens, voluntas, & virtus (PRINCEPS SERENISSIME) tuæ Celsitudinis comites, semper & ubique Te fidum Imperij Gallici probarunt Achatem; & mirum istud est cùm Mortalium nemo omnibus placere usquam potuerit, cunctis Orbis universi Gentibus adeò Te gratum & charum esse, ut Te suum pignus & Palladium religiosissimè colant; hoc enim sydere & sanctione divinæ vocis natus es, ut Fata quorum legibus immobilis rerum humanarum ordo seri creditur, vigilando, agendo, allaborando gloriosè viceris; & licèt plerique Principes eorum cogitatione sensus suos hebetari & obtundi doleant, Tu ipsas fatorum manus elusisti, durioraque Sortis molimina invictus disrupisti, quæque à Deo immissa, piè; ab inimicis obiecta, viriliter pertulisti. Rectè igitur Plebeius ordo, Nobilitas, Clerus, & Academia tua cuius munificentissimus Conditor es secundus, maximum & optimum Gallicæ felicitatis Genium Te celebrat, suspicit, veneratur. Si enim omnia omnium Imperatorum quorum imagines in numismatis sæpiùs & lubentiùs intueris, vel prudentiæ mysteria, vel fortitudinis trophæa, cæterarumque ornamenta virtutum enumerentur, in Te uno cumulatiùs reperientur. Quid ergo omnes Ordines, quid Academici de quibus tam prolixè meruisti rependent? Vota: quorum solenni nuncupatione rebus tuis cum Regno & Rege coniunctis, propitium Numen aspiret. Quid Celeberrima Saluberrimaque Medicorum Parisiensium Schola conferet? Ecce, per Me Clientem Tibi addictissimum, ut olìm Rex ille in Sacris literis Abrahamo hostium expugnatori Vinum dedit, haud aliter has Vini nostri dotes (PRINCEPS INVICTISSIME) Tibi offerre gestit æternùm Victori. Vale & diu Tibi & Francis vive.

A. MORAND.

DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MARTII,

M. NICOLAO HELIOT, Doctore Medico, moderatore.

Est-ne Vinum Alimentorum optimum?

TOTO licèt vitæ nostræ decursu temperamentum corporis sic immutetur, nobis vt viuis & videntibus subrepat illa mortis & interitûs pernicies & intestina calamitas quam nulla ars, nulla manus, nulla humana industria possit effugere, sitque fatali quâdam necessitate sensìm senescendum; domestico huic malo tanto tamque graui benefica parens hominum Natura probè consuluit, cum alimentum veluti præsens quoddam remedium subministrauit; & ne partium solidarum fluxa viuacitas, vel ab ortu, deficeret in altricis fidem ac potestatem nos permisit, cuius est adiectum alimentum in corporis vniuersi substantiam conuertere, & eidem assimilare. Cùm igitur trina corporis nostri substantia perpetuo fluore continenter & assiduè dissipetur quam præproperè absumi & consenescere non sinunt alimenta, proprium nutricis facultatis munus erit nonnihil substantiæ pro disperditâ resarcire quò spes vitæ subsit longioris, non est enim futura iugis & diuturna vitæ permansio, verùm eiusdem cita discessio vbi collabitur vel impedita cessat œconomia tum spiritûs, tum nutricatûs, per quam hominum vita sustentatur. Cúmque alimentum totius substantiæ omnimodâ familiaritate in viuentis corporis substantiam conuertatur, per quam assimilatur & calorem auget, penes verò temperamentum partes ipsas afficiendo, earum temperiem immutet, medicamentosum mero, longè multúmque præstabit, humidum sicco, virtus mole, suus vt cuique viuentium generi cibus peculiaris & proprius esse perhibeatur.

ANTIQVVM & mirabile nutritionis opus summo naturæ munere ex accepto alimẽto perfici non fuit ambiguum: hoc enim illius est tota materia in quam penitùs incũbit, quam variè tractans expurgat, conuertit, propriisque ductibus in omnes vel extremas corporis particulas diffundit. Cum autem salus sit hominis, vigere appetentiam, quâ deficiente languescit & periculo fit propior, alimentum quod cum voluptate sumitur, desiderio tractum in ventriculum reconditur patulâ expectatione rapientem; & dum animosè fruitur, mox illud concoquit, quod non ex æquo cibis euenit quos nulla sui dulcedo commendat, id alimentum optimè nutrit quod & suauissimum est, & idem facillimum ad concoquendum. Nec eam quam momentis omnibus substantiæ melioris iacturam facimus, resarcient elementa pura, vel impura, meteora, metalla, aut vlla corpora quantumuis perfectè mista quæ semper & omni tempore vita destituerit, cûm ad vitam salubrem & diuturnam nullum præsidium suppetat alimento euchymo & eupepto conuenientius. Tua sit igitur cautio ne offeratur varium aut miscellum; aduertimus hominibus alimento simplici vtentibus familiarem sanitatem, ægrescere autem inter eos qui saginam compositâ varietate patiuntur, cùm id genus alimoniæ non magis, copiâ quàm varietate crudescat, adeò constat quàm faciliùs digestu sit vniformis alimonia, vt ei, cùm infirma sit natura, sufficiat: Proindéque cibos perfectus Medicus eos omnes non probat, quos profunda heluonum ingluuies terrâ maríque conquirendo vestigauit; hanc enim peragrantis gulæ, & in succos insuetos inquirentis industriam, atque has vndique vorsum indagines cupediarum maximâ detestatione dignas censet: dum enim magis ostentui & profusæ libidini quàm vsui seruitur, syluarum secretum omne lustratur, & peregrina maria solicitantur, fit vt etiamsi sanitatem sumentium mediocritas obseruata non sauciet, ipse tamen luxus integris optimísq; moribus non mediocriter officiat.

MORTALIVM vita modicis conclusa finibus, tot & tantis molestiarum tempestatibus fluctibúsque iactata, nullâ vt curâ, nulláque solicitudine non vrgeatur, supremi rerum Moderatoris indulgentiâ ne intestinum eius malum in dies ingrauesceret, præsertim cùm cibo fames, potione sitis, & medicamento morbus depellatur, alimentum in salutis humanæ subsidium fuit in promptu, & id quod omnium numeros vnicum impleret. Suauis ille succus est, qui ex vuis viteis & maturis exprimitur, singulari cuius beneficio vires integræ salua & incolumis vita, etiam in multos annos & vltra sæculum producitur. Nec tibi aqua hæreat, si parum firma vitæ nostræ fundamenta tam valenti tamque stabili sede fulcire tulerit animus: Vinum quo nullum in hac rerum vniuersitate præstantius alimentum reperire est, adeò facilè tantáque celeritate in substantiam alito propriam & conuenientem transmutatur, vt ne minimum quidem negotium alendis partibus facessat, nec modò laudabilem & syncerum succum præstet, verùm & mole sub exiguâ copiosum profundat. Flauum tamen memineris continere in se vim caloris maximam, rubrum nullo negotio succum vitalem augere, nigrum vberiorem, tardiùs etsi peruadat; fuluum verò maximè omnium & ad coctionem succíque bonitatem aptissimum fore: fac album ad exiguum temporis tum calefacere cum nutrire, substantiæ tamen tenuitate vrinas & sudores mouet. Fragrans extemplò spiritus reparat, sed ca[illegible] iti bellum indicit: graueolens spiritus & sanguinem inficit, inodorum suo ipsius indicio suam prodit imbecillitatem. Dulce sitim & flatus excitat, bilem auget, aluum humectat, sputum promou[illegible], cum thorace consentit, at graueis inimicitias gerit cum ipsis visceribus: austerum ventriculo proderit, bilem sedabit, fluxiones cohibebit, neque caput tentabit aut feriet, verumtamen nec euchymum esse, nec anadosin iuuare comperies: vetustum amarescit, medium probato: tenue quamuis minùs alat, citò distribuitur atque diffunditur & crassos humores incidit: oligotrophon quia tenue, aquosum, imbecillum, febriculosis, à capite dolentibus, aut neruis, nihil afferet detrimenti: generosum multùm alit, verùm caput fumorum copiâ percellit. Cúmque leuioris operæ sit impleri potu quàm cibo, fit vt fouendis spiritibus & synceris humoribus resarciendis longo alui profluuio, vel aliâ quâcumque ratione exhaustis, vinum ocyssimè succurrat.

LIBERALIS aliquando meri potio vigorem dabit, non vt mergat, sed vt deprimat, eluit enim curas & ab imo mentem mouet, & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ & ægritudini medetur, Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini; sed quia liberat seruitio curarum animum & afferit vegetiorem & audaciorem in omnes conatus facit. At si quæsitissimam apud mensam crebris & ingentibus poculis obrutam & ferculis lasciuientem odio penitùs insito canini prandij omne ingenium ingurgitaueris, multúmque bacchæi nectaris vbi dies erit ad votum & sponte curas dabitur componere, vel etiam ieiuno gutture ingesseris, adeò vt vel leuissimè Recti Numinis te religio tangat, vinum etsi vita cardiaci & fomes esse dicatur & incitabulum ingenij virtutísque, si mens hominis & corpus eo flagret, nihil errabis propterea, si diligentiùs attenderis ne sua in mentis arcem spicula contorqueat, haustum enim vberius si ne suo quidem authori pepercit, quid, quæso, de te futurum augurâris? non quod modicis honestísq; inter bibendum remissionibus refici integraríq; animos ad instauranda sobrietatis officia negemus, verùm quod vix ac ne vix quidem inacie virtutis Gratiarum contubernio mereat, aut animo consistat quem Lyæi saliua plus æquo delinierit. Non pugnamus Aristoni adolescentẽ tristem hilari & amabili præferenti. Etsi fors tulerit vt dubia nec adeò castigatis dapibus extructa mensa nos olìm inuitarit ad pocula, cyathum à primo suffusâ lymphâ restinguimus, & amphorarios, tricongios, bicongios, & illaudatos illos perosi bibacissimos procul amouemus sedibúsque nostris arcemus. Et licèt quem seuerus & sæuus ille Dynastes ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in conuiuio propinante se vini amphoram, execrati facinus indignum abdicemus, exigamus, diruamus, de dolio nihilominùs nobis hauriendum apertè vetamus, defusum in amphoras & cados imperamus & de meliore notâ, nec panis & vinum probatur nobis à propalâ & de cupâ.

HELVOLO vino, generoso, honorario, fragranti, consistenti, bimo, horno, prælĩganeo & edentulo, madebis; non secundario, cibario, picante, marino, pendulo, villo, fugienti, dubio, vappâ, eructo vel mucido; nec certet exoticum patrio, hispanum franco, gothicum burgundo, aurelianum donomarensi, aut aliud vllum nostrate; sanorum iudiciorum consensu ratum est Vina Francica, hoc est, vineti Parisini omnibus bonitatis numeris præcellere, tametsi halitu vt externa vertiginem non cieant & sint vt vulgò fertur obtusiore mucrone, nec satis œnopolarum & gnathonum linguas feruido & acuto gustu lancinent non modo quòd cæteris suauiora sint, sed quòd etiam medio sint colore, consistentiâ & viribus, nec tantum celeriter & confertim succi bonitate coctionem iuuent & partes omnes mirum in modum reficiant, verumetiam ciborum distributionem promptam & expeditam efficiant. Et vt singulis suus est sapor pro variâ cœli soliq; naturâ & vitium cultu, aurelianum frigidis naturis & qui imbecilliori sunt ventriculo mirè prodest; calidis verò & biliosis potissimúmq; quibus iecur est calidius obest, nec non iis omnibus quibus est caput imbecillum. Nec calculo nostro fraudamus omninò mustum, mulsum, sapam, pomaceum, pyraceum, ceruisiam, hydrosaccharum, hydromel, aromatiten, absinthiten, ptisanam, poscam, si potissimùm cordi fuerit ille potus, consuetus aut imperatus, à Medico. Ros tamen ille noster vitalis, maximè omnium potulentorum principem locum sibi meritò vendicat, cùm moderatus eius vsus omnibus conueniat, nec modò calorem natiuum excitet, spiritus reparet, ventriculum roboret, iacentem & prostratam eius appetentiam suscitet, coctionem promoueat, famem soluat, sitim restinguat, sanguinem vberem & optimum sufficiat, vires augeat, extenuata membra reficiat & inculpata tueatur, senes tegat & tuetur, viuidum floridumque colorem inducat, fœcunditatem procuret, inimicum vitæ frigus corpore depellat, somnum conciliet, superfluos humores absumat, obstructiones aperiat, citatam aluum cohibeat, pigram citet, dolores exhauriat & compescat, veneficos ac pestilentes quosuis insultus effringat, verumetiam meticulosis audaciam iniiciat, hebetes acuat, feros & immites humanitatis condimento mitiget, cicuret immanes, genis pallorem excludat & omnem animo metum eximat, adeò vt toto corpore masculus ardor eluceat, & radius in fronte virilis animi emicet, titulum iurè sustinebit σχεδὸν τροφῆς, σχεδὸν ποτοῦ, καὶ τοῦ σχεδὸν αἵματος,

Est ergo Vinum Alimentorum optimum.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS MORAND Senonensis. A. R. S. H. M. DC. XLV